



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Inanis gloriæ appetitus an semper in peccatum inducat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

runt subiacere, qui Christianos naufragium patientes spoliant.

Inanis gloriæ appetitus an semper in peccatum inducat.

GLoriæ humanæ appetitus licet malus non sit (nam ita licitum est cupere & quærere humanam gloriam, sicut licitum est cupere & quærere alia bona humana, scilicet pecunias, agros, & huiusmodi, est enim gloria vnã inter bona humana non parua) inanis tamen gloriæ appetitus peccatum est: quia à recta dissonat ratione omne vanum. Est autem gloria vana non solum quando de falsis est, sed etiam quando de trãstoriis, aut à transitoriis expeditur, quia non solum de falsis vana est gloriatio (vtpote de his quæ non sunt) sed etiam quum transitoria tanti sũt, vt de illis aut ab illis quæratur gloria, vanitas est. Suficere debet homini à transitoriis gloria transitoria vt sic, & non quasi gloria absolutè: illa enim parui sit, si cognoscitur, dum autem magni sit, quia vt gloria absolutè æstimatur, vanè appetitur: quia reuera magnum quid non est. Non est autem semper mortale peccatum: sed solum quando amor gloriæ repugnat charitati, vel quantum ad illud de quo est gloria, vel quantum ad intentionem appetentis gloriam. Et primo modo solum peccat mortaliter, qui gloriatur de aliquo quod est peccatum mortale, quicquid sit illud. Secundo verò modo, qui ponit suum finem vltimum in gloria humana, hoc est, qui tantum afficitur gloria, vt illam præferat obseruationi præceptorum: vt est ille qui ob amorem gloriæ consequendæ, vel timorem gloriæ perdendæ incurrit aliquod peccatum mortale: vt Lucretia elegit adulterium ne infamaretur: cuius oppositum elegit Susanna, præferens diuina præcepta gloriæ humanæ & vitæ.

Gula